Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 1893
Quelle:
Copyright:

distinctus sequentia complectitur: I. *Sermones* sacros initio mutilatos; jam enim tertium folium numerum antiquum 160. praesefert. De variis per annum Dominicis et Festis agunt, levis momenti, nulloque Autore, nisi quod *Sermo* p. 2. incipiens in illud: *Videbunt filium hominis venientem* &c. *Luc.* 21. inscribatur *Magistri Francisci de Marchia*, cui Franciscano *Picenati* nec *Waddingus*, nec *Fabricius Sermones* adtribuunt.

II. *pag.* 165. sequuntur breviculi *Sermones de Sanctis cum legenda et miracula.* Primus in illud: *Ave Maria gratia plena* &c.

III. *pag.* 207. *Meditacio beati bernardi.* Initium: *Multi multa sciunt et se ipsos nesciunt* &c. Prout extat Edit. *Maur. Opp.* T. V. *col.* 319. inter Scripta dubia, et a nobis saepius relata est. Hic in Articulos XIX. distribuitur.

IV. *pag.* 229. *Sentencie multorum.* Puta Patrum *Gregorii, Bernhardi, Augustini* &c. ad nullum certum scopum directae. Accedunt Adnotationes prolixiores *de pretiosa morte sanctorum, de quinque Modis Paupertatis, de septem Cameris inferni, de amore septiformi, de animalibus, de quatuor generibus lacrimarum* &c.

V. *pag.* 271. *De erroribus hereticorum.* Initium: *Audistis quia antichristus venit, nunc autem multi antichristi facti sunt.* Pag. 285. habes Autorem. *Ego autem frater Rinerus* (Raynerus Sacconus) *olym heresiarcha nunc dei gratia sacerdos in ordine fratrum predicatorum licet indignus dico indubitanter* &c. Egi de hoc Opusculo *Vol.* I. P. 1. *col.* 1079. et alias, ut *Index* docet. Exemplum praesens est ex auctis et interpolatis in *Germania.*

VI. *pag.* 314. *Allegaciones biblie cum tabula.* Dic *Exempla Virtutum et Vitiorum S. Scripturae Nic. de Hanapis* O. P. saepius jam utroque *Vol.* indicata, et hic Praefatione munita, quae incipit: *Tanta pollet excellentia predicationis officium* &c. Hanc excipit supra dicta *Tabula*, tum ipsum Opus: *Creatio rerum fuit ita mirabilis* &c. cui tamen extrema desunt.

DCCXCII.

Codex membraneus lāt. Sec. XIV. Folior. nunc 56. 4. min. partim per duas columnas, partim lineis longis, non una manu exaratus, rubricis distinctus et quondam Collegii S. J. *Vienn.* tria complectitur. I. breviculas, quas vocat, *Collationes*, sive Argumenta sacrarum Dictionum in singulas Anni Dominicas, tum etiam in Festa SS. Ita statim *Dominica prima in Aduentu* sic: *Induamur arma lucis.* Rom. *Expectantibus magne et desiderate persone aduentum oportet considerare quantum ad se, ne preueniantur, quantum ad aduersarios, ne impediantur, quantum ad expectatum, ne ab eo contempnantur. Timentes preueniri solent stare induti, Timentes impediri solent stare armati,* R. 1127